

DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quartâ mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXI.

M. JOANNE-FRANCISCO PARIS, Doctore Medico, Præside.

An proprium hominis alimentum, vegetabilia?

I.



EA est corporis humani fragilitas, ut nisi sæpe sæpiùs reparetur, ultrò in perniciem ruat: ubi vitam vix hausit, jam ad mortem celeri gressu properat: ejus substantia lapsu temporis exiguo consumitur; humores longo jejunio depravati vim acrem induunt, quâ sensim viscera depascuntur, ac tandem corpus miserum, inter acutissimos febris subsultus, rabidæ famis victima, enecaretur. Instantem valent mortem depellere alimenta: alimenta ideo omnigena è diviti gremio fœcunda hominum mater tellus exhibet. Non altè effodienda profunda hujus viscera, (nec ulli unquam in mentem venit,) ut ex fodinis mineralibus substantiam eliciamus, cui subigendæ, dissolvendæ, alterandæ,

omnino imparia sunt ventriculi & tonus & calor & varia humorum menstrua. Nec verò sanguis animalium, naturâ repugnante, sensu humanitatis aversante, effundendus. *Ecce dedi vobis*, inquit naturæ conditor, *omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.* Ecce igitur suprà ipsam terræ superficiem habemus in vegetabilibus alimenta, duris quidem, ex primi parentis lapsu, aquirenda laboribus, sed quantâ varietate; quàm appositè hominis constitutioni pro anni temporibus accommodata! Unum quidem omnium ferè ex nostris in regionibus, omnium in orbe penè toto ab antiquis cognito, omnium denique non barbarorum forsan sed excultorum hominum commune ac præcipuum alimentum panis est, cujus laudes numquam satis evehi posse arbitrabatur Hippocrates. Princeps ille medicorum, solâ ratiocinii face præeunte, non suspicatus à primâ hominum origine in usum venisse panem, nobilissimam Medicinæ palmam assignabat ei qui panificiam artem excogitaverat primus, & ex granis crudis cibum adeò eximium ac temperatum effinxerat, ut & optimi succi alimentum præberet, & nullum corporis humani humorem qualitatis propriæ ac excedentis vitio læderet. Hic sacer homini cibus: cæteris quidem deficientibus, potest homo salvus ac sanus subsistere; pane deficiente, omnis hominum natura marcescit, elanguet & tandem furibundæ mortis ictu desperata percutitur. Nam quamvis in aliis quibusdam regionibus glandes olim, etiam nunc oryza, mays, &c. cùm frumento ac secali certent, semper tamen regis animalium alendi provinciam sibi vindicabit farinaceorum familia, nec eam panem immeritò dixeris. Cum verò nonnihil ex variis anni temporibus perpetiatur corpus humanum, Creatorem sua poscebat sapientia ac munificentia alias escarum species, quæ medicamentorum vi quâdam pollentes hisce affectionibus mederentur, ideòque suis singulas tempestates alimentis distinxit cùm varietate admirabili. Dum enim vere novo sanguis in vasis corporis effervescit, ad temperandum calorem ac nimiam fermentationem compescendam, aquâ madentia tenera olerum folia exhibet. Tum æstas succedit, urget calor, corpora ad fermentationem putridam vergunt, transpiratio immodica vires penè exhaurit; en aptum remedium: quædam supersunt olera, alvum molliunt ac refrigerant lactucæ, portulaca, &c. arcent putriditatem larga acidorum omnis generis copia, transpirationem nimiam coërcere comperiuntur, simul ac refrigerant, melopepo, cucumeres aliaque id generis. Autumni initio, dum nondum omnis extinctus est calor æstivus & ad veris ferè naturam redit tempestas; aquam refrigerantem pariter suppeditant plerique fructus horæi, mora, uvæ, pruna, malorumque ac pyrorum fœcunda varietas. Mox tristis hiems in vicos, in urbes torpentium frigore hominum turbas compellit ac domi continet; frigida aeris temperies cutis poros astringit, novâ donat elasticitate; digestio celeriùs peragitur: alimenta ideò requiruntur magis nutrientia; en adest radicum omnis generis, en asservata pisorum, lentium, phaseolorum leguminumque aliorum multitudo. In tantâ rerum abundantiâ, adeòne esse avidum hominem cui tot non sufficiant! Plura exhibeantur, num ideò plùs capiet venter? Aut si capiat, num ideò firmior stabit bona corporis valetudo? Num

audaciùs & mortem & morbos provocabit? Num totiùs eam animi ſanitatem comparabit, quâ cupiditatibus, ſui benè compos, imperans, ſolis homini, dum vivit, conceſſis, ſolis homine dignis frui poſſit virtutis deliciis?

I I.

AD perfectam corporis humani ſanitatem quid requiritur? Num rotundula cutis craſſities, rubicundus in facie nitor, corporis totius quædam ad mollitiem proclivitas? Hoc quidem præſtare videmus præſertim carnium eſum. At cave: infidus ſub iis floribus ſæpè latet anguis, multiplex ſplendidâ eâ ſub ſpecie reconditur incommodorum omnis generis ſcaturigo. Quàm robuſtiorem ſe præſtabit ille qui, quamvis ſquallidulâ oris facie, ſiccam præ ſe ferens ſpeciem, incredibili gaudet muſculorum robore! Quod ventriculi, quod variorum viſcerum elater! Quæ facilitas ad ſua digeſtionis, ſecretionum & excretionum munera obeunda! Quæ totius corporis viget alacritas ſub eo, laboribus & aprico induratæ, exuſtæque ac minùs pellucidæ cutis velamine! Quanto impetu omnimoda ſubit exercitia! Hæc vera hominis ſanitas. Homo laboribus, dum vivit, hâc lege damnatus eſt: *In laboribus. . . . comedes herbam terræ. In ſudore vultûs tui veſcêris pane:* qui ſeſe iis tentat ſubripere, is vivere contendit conditione non homini datâ, vitamque properat incautus amando perdere. Vis ſolidam homini præbere eſcam quâ & ſanus & longævus & validus, nulliſque impar laboribus conſtituatur? Vegetabilia porrige: infantibus ac puerulis, quibus deeſt dentium auxilium, malarum robur, quibus laxior & tenerior eſt ventriculi compages, concedatur alimentum intra matris ubera attenuatum, elaboratum ac jam quaſi incarnatum: grandiores durioribus aſſueſcant, & ad famem ſedandam latranti ſtomacho præbeant vegetabilia. Hoc proprium hominis alimentum: illud quidem forsàn difficiliùs ſubigitur, humoribus noſtris minùs eſt homogeneum, ideòque minùs bene aſſimilatur. Plurimi negarent, nec prorsùs immerito; nos non diffitebimur: imò, ſi vegetabilium prima concoctio celeriùs peragitur, id inde evenit quia eorum, ſi tamen farinacea excipias, parcior eſt ſuccus nutritius: acidum quid pleraque obtinentia citò in ventriculo obtinent eum fermentationis acidæ gradum qui requiritur ut chymus è ventriculo in duodenum delabatur per pylorum. Nec mora, fit ſubitò in duodeno præcipitatio bilis cum chymo: partes terreæ & excrementitiæ, cùm plures ſint quàm in animalium carnibus, minùſque *præſenti alimento* impeditæ citiùs dejiciuntur, plerumque adhuc integræ & indigeſtæ. Ideo inter herbivora quædam, bos, ovis, capra quatuor donantur ventriculis, quibus alimenta iterum iterumque ſubigantur, ſuccuſque copioſior eliciatur. Si vero ſuperbus hominis vector equus unico tantùm gaudeat ſtomacho, hujus quoque fæces excrementitiæ multo plures retinent fœni paleas crudas adhuc & integras, cæterùm nullo crurum velocitatis, nullo ſpirituum animalium ardoris, nullo denique totiùs corporis amplitudinis & altitudinis damno. Si ea objiciantur vegetabilium incommoda, quid inde? Partes quidem eorum nutritiæ & quaſi *futuri alimenti*, quamvis difficiliùs noſtræ aptentur ſubſtantiæ, exercitiumque ideo nonnullum requi-

rant, tamen femel affimilatæ multò difficiliùs avolant, multò intimiùs folida corporis ab iis penetrantur, hinc majus & firmius eorum elater, ideoque cuncta corporis munera multò aptiùs perficiuntur, juxta Hippocratis effatum : *alimentum quod ægre alteratur ægre confumitur.* Sanguis etiam in iis hominibus nitidior rubet & intenfior, & ob majorem triturationem faciliùs evaporantur humiditates heterogeneæ, ita ut fola pars fanguis puriffima remaneat. Ab eâ igitur alimenti vegetabilium veluti craffitie ac tenacitate, & folida & fluida corporis evadunt perfectiora. At verò ad id etiam nonne multùm conferat aura illa vitalis aeris, quam etfi forfan rudiorem, tamen & uberiorem & finceriorem continent vegetabilia, nec fuis eximiis orbatam virtutibus. Vegetabilia denique minùs ad diffolutionem accedunt, quam removere proprius eft alimenti finis. Carnium è contrà fuccus copiofior, lentiùs elicitur; tardior fit prima concoctio. Partes nutritiæ, faciliùs affimilantur, faciliùs quoque avolant. Alimentum enim *quod facilè apponitur facilè confumitur.* Aer in ipfis contentus jam vim omnem fuam deperdidit. Inde nullum fere folidorum elater, latice aqueo extraneo fcatet fanguis; oleo quidem redundanti renidet cutis, fed ab eo fimul ejus pori occluduntur. Tranfpiratione impeditâ, carnes jam oleo impinguatæ ac liquefcentes immodicâ refluunt humiditate & imbecilliores ac laxiores factæ, hominem mollem, debilem, fomnolentum reddunt & ad exercitium prorsùs fere inhabilem.

I I I.

EX eâ alimenti animalis non fatis arctâ & intimâ ac folidâ cohæfione quanta exurgit morborum chronicorum præfertim multitudo ! Ii rure exules, urbes, fua regna, animalium omnis generis carnaria affatim obruunt. Nulla eft conftitutionis fpecies quæ poffit infeftam eorum morborum vim propellere : iis ftricta, iis laxa vectigal pariter exolvit fuum. Mollior fit, aquea, debilis folidorum compages; debilitatur adhuc, magis ac magis humiditate combibitur, fit in dies laxior : inde paralyfes, apoplexiæ quædam morbique alii foporiferi; inde, hiantibus veluti articulis, luxationes, rhumatifmi chronici; inde herniæ, varices, anevrifmata; inde, ventriculi ac vifcerum tono deperdito, internafque membranas crafsâ obducente pituitâ, prava digeftio, pravæ fecretiones, ad obftructionem & glandularum infarctum proclivitas, appetitûs dejectio, qui ut revocetur & excitetur, corpori infenfiffima, vifceraque exurens obfoniorum malè jucunda excogitatur varietas; inde levis & imperfecta fanguinis elaboratio, in quo ferofa prædominatur colluvies, fedes omnium, qui catharris olim tribuebantur, qui à vitiatis humoribus nafcuntur morborum, fcorbuti, fcrophularum, fcabiei, herpetis, &c. nec tacenda tot mala virginibus ac matribus deteftata ac præfertim fluxus ille albus, importuno fæpè comitante capitis & ventriculi dolore naufeifque ac vomitibus moleftiffimus. Si majori fibræ donantur elatere, cùm inter fe alimenti vitio non bene cohæreant, fingularum feorfim elafticitas in erethifmum vertitur : alios moleftat partium fenfibilitas, facilis animi commotio, tranfitus quàm maximè difficilis medicamentorum vel leviter turbantium, indomita illa morborum, ut aiunt, *nerveorum*, feu *melancholicorum* hydra : alios exagitant dolores

atrociores, inflammationes acres, ſpaſmi, convulſiones, varias agentes, pro variis quos occupant locis, tragædias. Nec à ſuperfluâ tantùm humiditatis copiâ, quâ laxiores evadunt fibræ, ſola carnium noxa. Norunt omnes nihil oleo inflammabilius eſſe : animalium vero pinguedo nil aliud eſt quàm oleum jam calore animali elaboratum & ad rancitiditatem diſpoſitum : numera igitur multiplices inflammatorii generis morbos ; aliquantulam numeraveris partem morborum quos procreat eſus carnium : quibus ſi comites addantur ſæpiſſimè putriditas, malignitas, quid aliud incuſaveris quam ſales alkalinos volatiles qui ex carnibus animalium intùs ventriculi computreſcentibus exhalant ? malum illud ipſum horrendum, ingens, quo ſæviente tot paucis diebus ſuccumbunt hominum millia, peſtis, nonne inter alias cauſas lethifero præcipuè occiſorum animalium eſui ſæpe debetur, aut ſoli interdum odori ? quibus in caſibus tantopere laudatus à quibuſdam, tàm feliciter uſurpatus vegetabilium acidorum, ptiſanæ veterum ſuccus, eorum ſupra carnium jura præſtantiam in ipsâ morborum curatione commendavit. Ab eorum ſalium animalium concretione nonne etiam calculus & arthritis ? Vis ſanari eos morbos ? Vegetabilibus tantum pro alimento (*a*) utere. Vis præcaveri ? Iiſdem menſæ cibis onerentur. Quid quod, ex nimiâ ſomnolentiâ, ex defectu exercitii, ex pravâ eſcarum ingurgitatione, ac vini, quod quodammodo requirit uſus carnium, potu immodico, plurima etiam malorum pullulet ſeges ? Hæc omnia à carnium uſu ſequuntur : nonne etenim multò longiùs ſomnum protrahit, nonne ab exercitio & labore deterret tarda & difficilis carnium prima digeſtio ? Quid verò faciliùs ſobrietatem ſuadet, an vegetabilia quorum pleraque, ſi præſertim nocuis careant condimentis, palatis delicatioribus reſponſant, an caro animalium mollis & tenera, quæ vix expectatâ malarum impreſſione, in ore ultro liqueſcit. Ea omnia à diætâ vegetabili præcaverentur. Si plura hujus commoda velis ediſcere, faſtos evolve primorum parentum. Quandiu eorum vita prorogabatur ! Interroga tot populos, tot ruſticos ex vegetabilibus etiam nunc victitantes quibus ipſa morborum urbanorum nomina prorsùs ſunt ignota : & ſi quædam à tempeſtatum, locorum, aeris, ventorum, aquarum injuriis perpetiuntur, iis communia qui carnibus veſcerentur, ſaltem ſalvâ conſcientiâ ſibi poſſunt gratulari, quòd nullam carnium damnandâ ingluvie noxam meruerint.

(*a*) Inter alia exempla liceat unum afferre quod mihi, pro ſuâ benevolentiâ ac facilitate, communicavit, diario medico & omni medicâ laude Illuſtriſſ. D. Roux, cui obſervationem Societati Regiæ Londinenſi anno proxime elapſo relatam, quidam fide dignus hiſce verbis conſcripſit. *Un nommé Guillaume Word .... en Eſſex, vécut accablé de goutte, rhumatiſme, ſcorbut & d'autres infirmités juſqu'à l'âge de 44 ans. Un Miniſtre mit le livre de Cornaro entre ſes mains. Il commença d'abord à retrancher peu-à-peu toutes les liqueurs fermentées & toutes eſpeces d'aliment animal de ſa diette. Il la reduiſit enfin à un Pudding fait de trois chopines de lait avec une livre de biſcuit trempées & bouillies enſemble, c'étoit toute ſa nourriture, avec de l'eau pour ſa boiſſon, pour 24 h. Quand il a commencé cette diette il peſoit au-delà de 24 livres. Il ſe trouva bientôt ſoulagé, & dans l'eſpace de 20 mois, quitte de preſque tous ſes maux. ... Il eſt plus fort qu'il n'étoit à l'âge de 25 ans, étant capable de lever 500 livres peſant. Il ne peſe que la moitié de ce qu'il a peſé avant ſon régime, & depuis un an il s'eſt contenté d'une livre de farine bouillie avec de l'eau & réduite à la conſiſtance de Pudding pour toute nourriture dans les 24 heures.* Mirè conſonat ea obſervatio cum aliis quàm plurimis à Theophilo Lobb. in tractatu de calculo & atthritide commemoratis.

I V.

SED ut propositi veritas clariùs elucescat & inviĉtè dubitanti animo demonstretur, ipsam hominis naturam considera. Quid sit homo? Num, ut cætera animantia, corporea tantum massa, arte quidem mirabili confectis organis instructa, sed nullis aliis devincita legibus, quam quæ ad corpus spectant, iisque obsequens non sponte propriâ, divinâ vero *instincta* naturæ necessitate? Nonne alia est regis animalium dignitas? Nonne parte gaudet multò nobiliori, quæ in linguâ, oculis, erecto vultu, toto denique spirat corpore? Nonne ea est hujus partis nobilioris, ideòque hominis natura, ut in eâ supremum numen pro ejus modulo, suam ipsius effigiem, id est, virtutes omnimodas imprimat ac repræsentet? Quomodo eas comparabit, nisi totius jam naturæ corporum rex & imperator homo, primùm suo ipsius corpori fortis imperet; ratus, partem corpoream, si plura ei concedantur, jugum rebellem excutere, mentem vero aut languentem torpere, nullisque vigere propriis fungentem muneribus, aut contrà ardenti veluti febre exagitatam, in objecta sibi extranea furentem ac quasi phreneticam hinc inde sine more modoque toto ferri impetu. Quâ ratione imperium illud assequetur? Quem ei victum Medicus, sanitatem mentis simul & corporis probe callens conciliare, assignabit? Quodnam ex alimentis expellet regnum, animale an vegetabile? Quodnam aptiùs hominem disponet ad virtutem colendam, ad vitia vitanda: hæc continuo labore, assiduis conatibus, indefessâ adversùs vim illam unicuique congenitam ad vitia promoventem reluctatione comparatur, conservatur; illa, si nullum per totam diem spatium temporis vacuum invenerint, difficilem sibi parabunt aditum; à sobrietate etiam expelluntur, paucioribus jam & multò difficiliùs sollicitantibus malorum irritamentis. Jam verò vegetabilia, partes solidiores suppeditantia, fibras indurant, hominemque longaminem ac laborum, fatigationis, sudorum, dolorum, austeriorisque vitæ patientem præstant: imò exercitium requirentia, ad illud hominem, addito necessitatis stimulo, incitant, & adversùs molles voluptatum illecebras fastidium, contemptum, horrorem incutiunt: vegetabilia fami potiùs quam gulæ famulantia, temperantiam in cibo, inde temperantiam in cæteris sensuum usibus, in quâ magnâ ex parte consistit virtus & sanitas, conciliant: vegetabilia partibus donata fixioribus, spiritus animales minùs exagitant, firmumque ac solidum judicium secùm important. Præstantissimas has dotes non subministrat esca ex carnibus sumpta, etiam modicè; at quàm facile est, alliciente hujus cibi suavitate, sobrietatis limites prætergredi: cujus pretii foret convivium illud quod carnibus animalium careret? Earum autem spiritus volatiles admodùm citò ad caput feruntur replentque omnia tumultu & exagitatione: quam ob causam lautiores epulas nemo nescit quàm turpes & inhonestæ comitentur sæpissimè miseræ mentis aberrationes. Qualis inter cænandum fuerit homo, talem ferè post cænam reperies, exercitiis omnibus, tùm mentis, tùm corporis inhabilem, virtutum minimè tenacem, pronumque in ludum, otium, comitatumque omnem mollitiei ac

lascivIæ. Quanquam in feritatem etiam, in audaciam, aliaque hujus generis vitia, ab eâ alimenti animalis specie, interdùm impellantur homines; nec unquam feritati carnivori leonis, ursi, tigris reperies parem, granivorum bovem, equum, asinumve aut mitem agnum. Tot & tanta ex carnium esu, præsertim immodico, vitia exoriuntur! Id senserant sapientissimi antiquitatis viri, Plutarchus, Plato, Porphyrius, Euripides, Epaminondas, aliique hujus notæ, quibus consentiens sacra philosophia aliis suasit absolutam à carnibus abstinentiam, cæteris, præter statutos hujus abstinentiæ dies anni non paucos, legem quadragesimalem, hominem ad sui ipsius naturam revocans, instituit. Et ea quidem lex à legibus Hippocraticis parum dissonat, diætam à verno ad autumnale tempus attenuari jubentibus; sed eum tamen sibi priorem proponit finem, ut homo scilicet, benè contemptis pinguium escarum deliciis, corpori vim quamdam inferat, ingratam forsan, sed magnanimo in cupiditates imperio, blandâque boni animi tranquillitate ac solido gaudio redimendam.

V.

NE igitur tantopere homines à vegetabili diætâ aversentur; hæc innocentes vitæ pastoralis delicias nobis delineat, quas vel lautissimi delibare interdum non fastidiunt: hæc vera præterea & animo & corpori præstat commoda. Sunt quos pleraque, ut aiunt, ex vegetabilibus alimenta molestant. An verò molestant omnia? Nonne in tantâ copiâ est quod tollere velis? Imò altiùs incommodi causam repete: nonne ab obsoniis, nonne à causticâ veterni butiri, veterum ovorum, piperatorumque omnium vi desumenda? Ab obsoniis abstine: at fastidio tunc erunt alimenta ac nauseam movebunt; condimenta parent exercitium, fames: hâc ratione populi ingentes, & fortes & bellicosi evasêre, quemadmodum Persæ qui solo pane cum nasturtio vescebantur, cæterûm Medis delicatioribus multò præstantiores. Hâc eâdem utebantur celeberrimi illi priores Ægyptii, quorum extantia etiam nunc monumenta ingenii sagacitatem, judicii soliditatem toto orbe celebrant: milites verò Annibalis, post delicias Capuæ, quàm mutati ab illis qui simpliciori roborati victu, feroces Romanorum Aquilas toties victricibus subegerant armis. Quidam de acescentiâ vegetabilium conqueruntur. At verò quinam sunt ii quibus noceat interdum vegetabilium aciditas? Ii quibus non ità ab initio mos fuit. Cur noceat? Id oritur ab inopiâ boni sanguinis, à debilitate fibrarum & sensibilitate, à defectu motûs animalis: vegetabilibus pro alimento familiari vescatur homo, ac simul exercitio utatur; sanguis procreabitur optimus, facile ac libere circuibit, fibræ justo donabuntur elatere. Si adversùs diætam à solis vegetabilibus diversa objicias temperamenta, quis prohibet inter diversa vegetabilia tuæ naturæ competentia eligere? Mox te, si audeas, docebit experientia quàm reverâ hominis proprium sint alimentum vegetabilia. Litteratis etiam, iisque quibus, aliquo studio vel meditationi addictis, exercitio uti omninò non licet, exemplo sint Ægiptiorum sacerdotes, Magorumque apud Persas pars tertia, & litteratissima Phænicum natio universa, artium, scientiarumque parens: iis in pane ex loto vel dilutiori polline parato &

diligenter ſive per molam aceſcentem, ſive per zythi ſpumam fermentato tenuis erat & parabilis diæta, ac neque caput petere, neque alvum diſtendere obnoxia. Nec eſt quod ad hominis conformationem recurras. Dentes quidem habet caninos cùm carnivoris communes; eos ſolius panis diſruptio requirebat: at quodnam ſit inter ea animalia quod colo inteſtino gaudeat? De ventriculo autem, alia ſunt inter herbivora quæ pluribus, alia quæ unico tantùm donantur. Quo igitur modo hiſce habenda fides eſt? Attende potiùs ad primam hominis originem: ea eſt vera hominis natura: ſi plures deinde ſubierit mutationes, ſi conſuetudo etiam in neceſſitatem verſa eſt, id minime naturæ ſed potiùs hujus depravationi aſſignandum. Jamverò ante diluvium, id eſt, per duo annorum millia, ex ſacrâ hiſtoriâ conſtat homines animalium carnem ne labiis quidem attigiſſe: neque in eo differunt à ſacris prophana. Ante Deucalionem nemini, juxta poëtas, in mentem venit cruentas in animalia manus inferre, nec niſi poſt longum tempus auſi ſunt ea ipſa ferro aggredi, quæ cùm homine labores agriculturæ partiebantur. *Tanta*, inquit Tullius, *putabatur utilitas percipi ex bobus, ut eorum viſceribus veſci ſcelus haberetur.* Non niſi poſt multa naturæ primò repugnantis, triſtibuſque horrentis dentes inquinare vulneribus, luctamina, ex aliorum animalium morte, more leonum, tigrium, urſorum homo ſuam ipſius vitam tentavit prorogare. Anteà quòd ſol imbreſque dederant, quod tellus ſponte ſuâ, ſeu ferro exarata produxerat, ſatis id avidi placabat ventris jejunia. Suo quæque modo cum bene de homine mererentur domeſtica animalia, quamdam ſibi conciliaverant hominis benevolentiam, nec pretioſius aliquid variis Deorum turbis quam eas victimas potuerunt offerre: pecora etiam ſegetibus, vitibus nociva, ſuem Cereri, caprum Baccho, quaſi Deorum vindices immolabant. Victimas tunc totas ignis conſumebat. Tandem jucundo carnium nidore allecti ſunt homines. Sapor digito primùm deguſtatus bene memori palato blandiri viſus eſt. Mox in toſta cadavera auſi ſunt dentes imprimere. Ex holocauſtis primùm Diis ſubtraxere, dein pro ſeipſis animalia mactare aggreſſi ſunt, & ſic paulatim ad inuſitatum cibum aſſuevêre. Ex hiſce principiis exorta κρεοφαγια eſt, contra quam, cùm nondum Medicina, morborum comes, caput extulerat, ſapientiſſimi & philoſophi & legiſlatores invexère, miratique *Unde fames homini vetitorum tanta ciborum*, pariter uno conſenſu concludebant:

Ergò proprium hominis alimentum, vegetabilia.

Proponebat Pariſiis CAROLUS-JACOBUS SAILLANT, Pariſinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Auctor, A. R. S. H. 1771. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerſ. & Facul. Med. Typographi, 1771.